Rozprawy
o panowaniu Jana Kazimierza
króla polskiego
odnoszące się

Od Bartynowsk. za 5 złk.

Carolus Gustavus 17 *r)* S. R. M. Sueciae binae literae, priores ad S. R. M. Christ. et posteriores ad Gen. Ordines foed. Belgii, contra causas expeditionis in Zelandiam contra reg. Daniae. b. m. i r. (k. n. l. 4)

18 *s)* Resurrectio Poloniae auxilio aquilae. b. m. 1658. (k. n. l. 2)

Paulli Jacob Henrick 19 *t)* Epistola amici ad amicum de causis renascentium dissidiorum Sueco-Danicorum. Hamburgi 1658. (str. 10)

20 *u)* Brevis discussio querelarum, quae per regis christ. legatos et internuntios contra augustiss. Imp. Ferdinandum III. propositae sunt. b. m. 1657. (str. 20)

Frischmann Johann 21 *v)* Labores electorii sive solennia electionis et consecrationis. b. m. 1658. (str. 30)

22 *y)* S. R. M. Sueciae commissariorum responsum ad literas legatorum electoralium Brandeburgicorum. b. m. 1659. (k. n. l. 24)

Frischmann Johann 23. *z)* Censura censurae in collegium electorale amicae. b. m. 1658. (str. 44)

24 *aa)* Biorenklou Math., Memoriale ad eminentiss. sereniss. S. R. I. electores. b. m. 1658. (str. 32)

25 *bb)* Peyrer Isa. Epistola ad Philotimum, qua exponit rationes propter quas ejuraverit sectam Calvini et librum de Praeadamitis quem ediderat. Francofurti 1658. (str. 36)

26 *cc)* Retz de Joan. Franc. Paul. de Gondi Omnibus episcopis, presbyteris et universis filiis ecclesiae. b. m. 1660. (str. 28)

Frischmann Johann 27 *dd)* Animorum in Europa et vicina Asia motus de Suecici belli motu in Polonia. Upsaliae 1656. (str. 75)

28 *ee)* Gabriis Luc. de. Injustitia armorum Suecicorum in Polonos responsione apologetica ad epist. Cyriaci Thrasymachi ad Andr. Nicanorem data, nec non ad brevem et preliminarem enumerationem causarum, ob quas Carolus Gustavus R. Suec. coactus est Reg. Pol. bello adoriri. b. m. 1657. (str. 60)

29. *ff)* Elogium funebre Ser. Caroli Gustavi R. Suec. Gothenburgi in Suecia Februario mense a. 1660 extincti. b. m. i r. (k. n. 14)

30. *gg)* Epitaphium Regni Daniae agonizantis, eiusque inopinata convalescentia et generosa resurrectio ex tumulo. b. m. 1660. (k. n. l. 4)

Rapp Christoph 31 *hh)* Homo politicus auctore Pacifico a Lapide. Cosmopoli 1664. (str. 30)

32 *ii)* Stetget Harip. Conjectio de futuro Romanorum rege promovendo in imperatorem. b. m. 1658. (str. 22)

Frischmann Johann 33 *kk)* Collegium reliquorum Imp. deputatorum ad Collegium electorale de praesenti statu Imp., imperatore eligendo, scribenda lege, annexis aliis. b. m. 1657. (str. 97)

34 *ll)* Responsio ad duo scripta Danica, quorum alterum sub

titulo Juris fecialis armatae Daniae, alterum sub nomine Manifesti exiit. Francofurti 1658. (str. 39)

35 *mm)* Epistola equitis Romani de eligendo rege Romanorum b. m. 1658. (str. 16)

36 *nn)* Brevis informatio et demonstratio, quam injuriosis et calumniosis persuasionibus feliciss. record. Imp. quondam Ferdinandum III. ejusq. filium Ser. Hung. et Boh. Reg. Leopoldum ablegatus Reg. Suec. coram electoribus et statibus imperii emisso in publ. libello accusatorio ruptae pacis insimulare conatus fuerit. b. m. 1658. (k. n. l. 15)

37 *oo)* Scher Mart. Vota Germaniae intranti Austriam oblata Leopoldo. b. m. i r. (k. n. l. 4)

38 *pp)* Biörenklou Math. Memoriale novum in puncto pacis et securitatis publ. quod nomine S. R. M. Sueciae d. 4 Maii a. 1658 exhibitum est S. Rom. Imp. collegio electorali. Francofurti 1658. (str. 7)

39. *rr)* Delirus prodromus in viam reductus. b. m. i r. (str. 6)

Frischmann Johann 40 *ss)* Delirus prodromus. b. m. 1658. (str. 14)

Schultz Peter 41 *tt)* Negeschius Petr. Comparatio inter Claudium Tiberium princ. et Olivarium Cromwellium protectorem. b. m. 1657. (str. 28)

Frischmann Johann 42 *uu)* Classicum belli christiani ad christiani principes omnis adversus christiani nominis hostes Ottomanidas. b. m. 1661. (str. 37)

43, *vv)* Disjectio rejecta sive iterata et constans querelarum Gallicarum discussio. b. m. i r. (str. 22)

Frischmann Johann 44, *yy)* Responsum ad nuperam illam admonitionem Gallo juxta ac Germanico stilo adversus sanctius Christianiss. Regis consilium publicatam ex causa Mardici Anglis belli contra regem catholicum sociis cessi. b. m. 1658. (str. 32) sk. 5. —

Exp. dobrze zachowany tego zbioru pism ulotnych do panowania Jana Kazimierza odnoszących się. Oprawa z wyciskami i klamrami.

1773. **P ę k a l s k i** Petr. De Petri militis per S. Stanislaum epis. Crac. resuscitatione. Cracoviae 1826. 8vo (k. n. 2, str. 23) br. —

1774. **P e t e r e k** Jan. Wykład systematyczny zarazy bydlęcéj, przez J. N. Kurowski. Warszawa 1833. 8vo (str. 108, tabl. br. —

1775. **P e t r i c i u s** Joan. Innoc. Historia rerum in Polonia gestarum anno 1620. Cracoviae b. r. 4to (k. n. 3, str. 77)

b) Princeps Polonus. Cracoviae 1633. (str. 109) psk. 10. —

1776. — Palaestra oratoria sive Imitatio Ciceronis. Cracoviae 162 4to (k. n. 50) br. 3. —

1777. **P i a s e c k i** Fel. Wróżka, dramat. Kraków 1861. 8vo (str. 3 br. —

1778. — Jac. Mythologia Aeneidum P. Virgilii Maronis. Cracovia 1635. 4to. (k. n. 8) br. — 5

1754. Paradoxa koronne publica i privatim potrzebne szlachcicowi polskiemu, napisane r. 1603. Kraków 1853. 8vo (str. XXI k. n. 1, str. 152, k. n. 2) br. — 25

1755. Paritius Christ. Frid. Commentatio brevis ex historia literaria de quibusdam Silesiis eruditis in Polonia muneribus functis. Cracoviae 1816. 4to (str. 24) br. — 40

1756. Parkossius Jac. Antiquissimus de orthographia polonica libellus. Posnaniae 1830. 12mo (str. 99) br. — 50

1757. Parthenay v. A. Geschichte von Pohlen unter der Regierung August II. Mietau 1772. 8vo 2 Ty (I. str. XIV i 508; II. str. 640) p. 2. —

1758. — Histoire de Pologne sous le regne d'Auguste II. La Haye 1733. 8vo 2 Ty (I. str. XXIV i 256; II. str. X i 256) 2. —

1759. Paschacy Andr. Sig. Plausus laetitiae publicae ad triumphalem post victorias reditum serenis. ac invictis. princ. Joannis III. reg. Polon. etc. expressus. Cracoviae 1683. fol. (k. n. 14) br. — 50

1760. Pasternak K. F. Wielki świat małego miasteczka. Wilno 1832. 8vo T. II. (str. 214) br. — 25

1761. Pastorius Joach. Bellum scythico cosacicum etc. Dantisci 1652. 4to (k. n. 8, str. 269, k. n. 1) p. 7. —

1762. — Florus Polonicus, seu Polonicae Historiae epitome nova. Lugd. Batavor. 1641. 16mo (str. 215, k. n. 16) br. 1. —
Brak tytułu, dedykacyi i przedmowy kart 7.

1763. — dtto. Gedani et Francoforti 1679. 16mo (k. n. 22, str. 851, k. n. 20) psk. 2. —

1764. Paszkowski Franc. Mowa miana przy założeniu podstawy mogiły na pomnik Tadeuszowi Kościuszce 1820 r. Kraków b. r. 8vo (str. 12) br. — 25

1765. Paterkula K. Welleja Historia. Warszawa 1830. 8vo (k. n. 1, str. 276) psk. — 50

1766. Pauli Żeg. Pamiętniki do życia i sprawy Samuela i Krzysztofa Zborowskich. Lwów 1846. 8vo (str. XI i 215) br. 1. —

1767. — Pamiętniki o wyprawie chocimskiéj, z rękopismów i druków mniéj znanych. Kraków 1853. 8vo (str. XI i 184, k. n. 1) br. 1. —

1772. Pax Polono-Svecica, per deputatos ad id sereniss. ac potentiss. princip. Poloniae, Sveciae Regum legatos conjecta Olivae 1660. 4to (str. 22)

2. b) Pax Germano-Svecica etc. Viennae 1648. (str. 84)

3. c) Wolphius Joh. Pannonia perrorata panegyrice. b. m. 1652. (k. n. l. 10)

4. d) Rewa de Petr. De sacra corona Regni Hungariae. Viennae 1652. (str. 96)

5. e) Copia literarum cujusdem magnae dignationis Poloni Dn. Przimsky ad fratrem suum Dn. Christ. Przimsky Casell. Culm., in quibus amore patriae suae ductus explicat, quid sentiat de tractatu Polonorum cum Austriacis. Cusini 1657. (str. 11)

6. f) Biörenklou Mat. Memoriale iteratum in puncto pacis et securitatis publicae. Francofurti 1658. (str. 12)

7 g) Statera veritatis ad quam responsum Gallicum. b. m. 1658. (str. 27)

Frischmann Johann 8 h) Statera veritatem transgressa subversa. b. m. 1658. (str. 19)

9 i) Circa pacem religiosam ficta veraque propositio in Epist. ad D. Baronem. b. m. 1661. (k. n. l. 10)

10 k) Querelae universi cleri in Majori Polonia et Dioec. Posnan. super barbara Austriaci militis insolentia, in Ord. Eccl. et Christ. patrimonium exercita. Posnaniae 1658. (str. 4)

11 l) Olszowski Andr. Expositiones coram eminentis. D. Elect. Moguntin. b. m. 1658. (k. n. l. 2)

12 m) Olszowski Andr. Memoriale nomine S. R. M. Poloniae et Suec. ad S. E. Illustr. S. R. Imp. Electores, Principes et Ordines. b. m. 1658. (str. 4)

Frischmann Johann 13. n) Moguntini labores electorales, praevii et electorii. b. m. 1657. (str. 45)

14. o) Grandmont Ant. et H. de Lionne Memorialia bina, primum ad deputationem statuum ord., posterius ad collegium elect. directa. Francofurti 1658. (str. 15)

15 p) Disjectio brevis illius Gallicarum querelarum discussionis. b. m. 1658. (str. 16)

16. q) Pacificatio Ratisbonensis inter S. C. Maj. et Regem Franciae. b. m. i r. (k. n. l. 8)

CONJECTIO
De futuro
ROMANORUM REGE, PROMOVENDO IN IMPERATOREM.

Absque præjudicio inquirens, Quis hoc tempore potissimùm eligendus videatur.

AUTHORE
HARIPERNO STETGETO,
HIPPORINO.

Conjicere non est definire.

M DC LVIII.

CONJECTIO

De futuro Romanorum Rege, promovendo in Imperatorem. Absque præjudicio inquirens, Quis hoc tempore potissimùm eligendus videatur.

MOrs inexspectatissima Ferdinandi Tertii, Imperatoris A. M. universam Europam suspensam tenet. Omnes de ea loquuntur, omnes propter eam de successore deliberant. Ac licet vulgus pro more, imò pro affectu, nunc hunc, nunc illum futurum Cæsarem ominetur, ideoque in circulis, in congressibus, in compotationibus, ea de re juxta captum suum disserat; non hinc tamen eventus tanti negotii dependebit: sed ab eorum matura deliberatione, & circumspecta sollicitudine, quibus Jus suffragiorum competit, & nominatio novi Regis Romanorum.

Ii sunt Principes Electores, S.R.Imp. Columnæ, & Firmamenta Germanicæ Nationis, qui, si communis boni & propriæ felicitatis rationem modò habuerint; nihil dubitandum, quin Deus sanis consiliis interveniet, afflictam Europam respiciet, eumque Cæsarem daturus erit, qui Majestatem per tot sæcula continuatam, porrò in splendore & gloria pristina conservabit,

vabit. Quod ut pro benignitate & clementia sua, in consolationem afflictæ gentis præstare dignetur, ante omnia communibus votis enixè orandus exorandusque est. Quia enim omnis potestas à Deo, & per divinæ Majestatis sapientiam Reges regnant, absque illius fortunatis auspiciis, instans Electio pacificè fieri vix potest: nisi corda Principum in communem concordiam adducat, & sepositis privatis affectibus, ad publicam tranquillitatem constabiliendam, quasi in unum suffragia conglutinet. Hinc pacem in Europa, hinc quietem in Germania, hinc prosperitatem in Provinciis habituri sumus. Absque unanimi Electione, contra omnia evenient: Bella cum ruina Principum, devastationes cum calamitate agrorum, injurię cum suppressione innocentium, denique mala omnia, quæ arma comitari solent, urbes, pagos, castra persundare.

Experta est satis hactenus Germania, quid sit in partes scindi, in dissidia, in opiniones. Caveamus ut caveat nobis Deus. Si frenum cupiditatibus laxaverimus, si ad vindictam, vel ex odio, vel ex offensione contractam, respexerimus, si ambitionem, præcipitantiam, & passiones animarum in consilium adhibuerimus; nihil boni in posterum sperandum: sin contra sepositis pravis affectibus concordiam præ oculis habuerimus, sin Religionis & Reipublicæ observantiam pro scopo statuerimus, nihil non boni exspectandum.

Ardua materia, & accurata pensitatione, si qua alia in mundo, libranda, præ foribus est. Aliàs in Rege Romanorum successio quasi certa erat: nunc Imperatore absque hærede dignitatis defuncto, eventus in ambiguo. Ad thronum cupiditati patefactum, ad derelictum in medio supremi honoris apicem fortassis non pauci aspirabunt. Nemo se indignum sublimi sede judicabit ex illis, qui, vel prætextu cognationis, vel ob potentiam regnorum, vel exemplo majorum, ad culmen

culmen Imperatorium aſpirare poſſe, perſuaſum habent. Et ut ipſi Principes hac in parte Deo rem committant, ſua forte contenti, non deerunt pravæ quorundam ſuggeſtiones, qui vacuam poſſeſſionem quocunque modo invadendam judicabunt: maximè Religionis intuitu, quam promotam vellent. Mali Conſiliarii ignem accendere poterunt, exſtinguere non poterunt. Nihil facilius quam ſerere diſſidia, quum difficillimum ſit, mederi malo ſemel nato.

Nimis cognitum, quid in Imperio ante hac acciderit. Statim poſt tempora Caroli Magni, Reſtauratoris Romanæ gloriæ in Occidēte, ſucceſſores inter ſe digladiātes, & alter alteri ſceptrum eripere conantes, Europam, & ſeipſos penè perdiderunt. Dum Ludovico Pio Filii Imperium invident, in Patrem impii evaſerunt. Dum Lothario primo Fratres inſidiantur, jura propinqui ſanguinis violarunt. Ambitio mala beſtia eſt, ex damnis aliorum ſaginari gaudet, uſque dum ipſa ad macellum rapiatur. Jam quid Carolo Craſſo purpura per violentiam aſſumpta profuerit, ex miſerabili ejus fine patet. Qui omnibus præeſſe voluerat; infra omnes dejectus eſt, mendico quam Imperatori ſimilior effectus. De Carolis Calvo & Balbo, ejuſque generis obſcuris Regibus, non eſt quod multa congeramus. Affectus nimiæ cupiditatis ſenſim in fumum abiit. Nihil præter infamiam ad poſterorum memoriam, de tot titulis reliquere. Ipſi inglorii, poſt mortem, ut in vita inhabiles ad coronas. Et unde tamen ipſis ſeges calamitatum? A malis ſuſurronibus, à perverſis ſeductoribus, ab improbis conſultoribus. Eos, ſi minus audiiſſent, minus circumventi fuiſſent. Nunc, poſtquam ab iis ſibi illudi paſſi ſunt, in extrema præcipitarunt; nec felices dum viverent, nec beati poſtquam naturæ conceſſerunt. Illud conſideratione dignius, quod continuis odiis, ſanguinolentis bellis, mutuis inſidiis, brevem Imperii terminum ſtatuerunt.

Post Arnulphum, & Lodovicum quartum, Aquila ad Germanos revolavit, & liliorum campo relicto, gloriosum nidum in meliori solo fixit. Et jure merito. Debebatur Patriæ postliminiò restaurata Majestas. Carolus Magnus Germanus fuerat.

Æquum erat Imperium eò reduci, unde prodierat. Et quanta, quæso, cum gloria, quanto cum splendore, quamdiu concordia inter membra mansit? Quid Conrado Franconate, quid Henrico Aucupe, quid tribus Ottonibus illustrius? sidera Imperii fuêre, Reparatores Teutonicæ libertatis. Vicerunt dum unanimes vixerunt: floruerunt dũ concordes extiterunt. Tantum bonorum secum traxit pax in Imperio conservata. Et verò omnibus tum Principibus ad suffragia coeuntibus, Patriæ caritas, & Augustalis apicis reverentia, quæcunque dissidia facile excluserunt. Qui unum pro capite habere gestiebant, ab unione nunquam recesserunt.

Inde postquam libido dominandi sensim irrepsit, mala pejora prioribus rursus inundarunt. Quod hactenus pacificum fuerat Imperium, inter se divisum, tristia exempla furoris renovavit. Exemplum miserabile, detestabileque in Henrico quinto, qui prætextu quidem pietatis, revera autem amore ambitionis, sceptrum illi adimere conatus est, à quo vitam acceperat: imò vitam illi adimere, à quo sceptrum extorquere conabatur. Similis casus in Rodolpho Suevo, quem dissidium Principum in partes pertraxit: eo eventu, ut disceret ex amputata dextera, non esse fidem Domino datam, temere violandam.

Porrò quis satis exprimere valeat, quæ damna, quæ persecutiones, quæ calamitates, ex schismate Ottonis Saxonis, & Philippi Suevi in Imperium redundaverint? quæ item ex competitione Ludovici Bavari, & Friderici Austrii? quæ item ex differentia Alberti Austriaci, & Adolphi Nassovii? Et sanè inter-

interregnum plusquam viginti annorum, post obitum Friderici Secundi secutum, instar omnium malorum est. Multos tum Cæsares Imperium vidit, nullum habuit. Capite destitutum corpus, in languorem membra conjecit. Nihil Pontificum interventiones, nihil Electorum molitiones profuerunt. Actum erat, nisi Deus Rodulphum dedisset.

Historiæ instar foret, miseras conditiones illorum temporum, quasi pro speculo præfigurare. Eò saltem ratio instituti nostri collimat, ut omnibus patere possit, quantum bonum concordia secum trahat; quantaque contentione adlaborandum sit, ut hoc turbato rerum statu, omnis ansa gravioris periculi, omnis occasio majoris perditionis, ab Imperio, & Germania avertatur. In hoc totis viribus incumbendum est. Continua dissidia, perpetuæ altercationes, Græcorum Imperium pessumdedêre. Et profectò imminet idem crudelissimus ac truculentissimus Barbarus: id molitur, id satagit, ut, qui unum bicipitis Aquilæ caput sustulit, alterum quoque romphæa sua Turcica præscindat. Ille quieturus non videtur, quousque universam Europam, quod Deus clementer avertat, sub jugum miserit. Danubius non sufficit ad restinguendam immanem ejus sitim; Rhenum quoque exsorbere parat. Atqui ut ab ejus irruptione ad tempus immunes maneamus; quod tamen futurum minus credibile apparet: res in ipso Imperio ita constitutæ sunt, ut de mutua pacificatione merito cogitare debeamus. Inde Suecus incumbit, & fortassis ex Dania proculcata, in Germaniam iter molitur. Hinc Gallus non cessat, & pro more gentis usitato, ad extendendum pennas suas acriter invigilat. Præterea Angli, Hollandi, Poloni, Transylvani, Moscique, & Tartari, aliæ adhæc Nationes circumcirca in armis agunt, & Deus novit, quò machinationes eorum aliquando erupturæ sint. Certè, haud in commune bonum. Ubi quilibet privato com-

modo inhiat, publica utilitas ferè negligitur. Quid nugamur de eo quod Interest? Pacem habere interest omnium, ut pro se quisque securus degat. Toto ædificio quassato, partes simul in ruinam ibunt. Omninò ad conservationem Universi, singulos conspirare necessum est; uti invicem separati facilius ne pereant.

Jam quod gravissimum, & ferreis lacrymis deplorandum, ipsi Principes Germaniæ religionibus inter se dividuntur, & per religiones dubio procul etiam regionibus dissipabuntur. Qui in via ad salutem non conspirant, facile in alios & alios calles dilabentur. Et revera vix fieri potest, ut ibi concordia animorum sit, ubi non est consensus animarum. Nihil æquè concutit regnum quam sectarum in fide disparitas. Quò quis certiorem opinionem tenere se credit, eò potiorem caussam suam æstimat. De cœlo securus, in terris omnia sibi promittit. Ut mente propius ad Deum se accedere reputat; Ita favore ejus se tutandum quoque confidit, imò elevandum. In tali itaque temporis constitutione, in tanta religionum diversitate, in tantis periculis externorum & internorum hostium, quid consilii? quomodo malorum radices amputandæ? qualiter evitandæ graviores collisiones? Hujus rei unicum solatium à divina misericordia primariò dependet; quare, ut dicebamus, omnibus ille supplicationibus, omnibus precationibus, in antecessum placandus est, ut iram suam porrò clementer avertat, & miseratus humani generis, innocenti sanguini in futurum parcat; atque ejusmodi caput corpori proponat, unde omnia membra salutarem influxum, vegetationemque accipiant.

Interim, quando humanæ naturæ faciendum incumbit, quod sui officii est, nec complicatis manibus ad ignaviam stulta confidentia actiones ventis permittendæ; sed post preces & obsecrationes sedulas, pariter satagendum, & intelle-

ctus desuper nobis infusus, ad utilitatem communem applicandus; &, quod Deus per providentiam operatur, per industriam & diligentiam coadjuvandum: age videamus, quid inter varias sententias, & divisos à se invicem affectus, tutius sequi liceat, ut tandem per ratiocinationes ad æquitatem proximè accedentes, inveniatur, quo solatio dolorem nostrum potissimùm leniamus, quem Regem Romanorum præ aliis omnibus maximè expetere debeamus: non quod Suffragatoribus magni consilii, leges præscribere intentio sit, quorum circumspecta prudentia, sublimis discretio, & multiplex experientia, nostram imbecillitatem longè superant; sed ut vulgus ab opinionibus & conjecturis suis, aliquando non satis rationalibus abducatur, & ab arbitratu serioso discens, quid optare, quid non optare debeat, sententiam suam eò usque suspendat, donec per gratiam Altissimi, & suffragia Principum Electorum, Imperio de Capite commodo & desiderato provisum fuerit.

Itaque breviter, quantum magnitudo rei permiserit, de omnibus illis agemus, quos alii & alii Augusti titulo & majestate dignos aptosque judicant.

Primus sit Rex Gallorum, cui suum calculum, sed absque ure denominationis, nec pauci, nec impotentes, attribuunt. ationes illos moventes hæ sunt præcipuæ. Quod Imperium ab ætate Caroli Magni, ad usque mortem Lodovici uarti, ab anno videlicet DCCC. ad usq; annum DCCCC. II. coronæ Gallicanæ adnexum permanserit. Quod sit ex Christianissimus, quod potentissimus, justissimus, clementissimus. Rationes profectò ponderibus suis subnixæ, d an tamen tales, ut efficiant, quod quæritur, aliquantum xaminandæ. Nemo est qui neget, Imperium diu penes allos resedisse. Sed quid hoc ad prætensam inductionem? arò solent ibi regna perennare, ubi originem sumpserunt,

Multas fieri mutationes conſtat, neque principatus ab iiſdem perpetuò teneri.

Prima Monarchia ab Aſſyriis ad Perſas, à Perſis ad Græcos, à Græcis ad Romanos tranſiit; & ſanè fruſtra, nedum ſerò laboraret, qui vellet illam hodie ad principium ſuum reducere. Revolutiones regnorum aliæ aliis ſuccedunt.

Imputent ſibi Galli, quod Imperium amiſerint. Cum poſſiderent, conſervare debuiſſent. Et quis ſcit, an non mores à Germanis nimium diſcrepantes, huic mutationi cauſſam dederint? Certè pertinaciter utrinque tum pugnatum eſt, non amplius pro Imperio quod jam amiſſum erat, ſed pro ſolo regno Auſtraſiæ, quod adhuc reſtabat. Cum diverſitate linguarum termini Provinciarum tum diſparati. Quaſi mutua commercia cum Gallis Germani in poſterum averſarentur, ita regiones Germanizantes à Gallica loquela ſepararunt. An igitur hodie tam diverſæ nationes iterum commiſceri debeant, meritò dubitandum.

Germani graves ſunt, conſtantes, fidei tenaces. Galli contra mobiles, varii, & pro occaſione mutabiles. Quod olim diutius non conduxit, nec noſtris temporibus conducibile apparet. Nimium Franci à prima origine degenerarunt. Cum alieno ſolo in alienos mores abierunt. Nihil reſtat ampliùs ex priſco gentis genio. Germani fuerunt, Galli facti ſunt. Si majorum naturam adhuc referrent, faciliùs in priſtinam amicitiam reciperentur. Utinam quod pomis Perſicis contigit, translatu mitiores effecti eſſent.

Nemo guſtum illorum averſaretur. Atque ideò ſufficiens ratio non videtur ad obtinendum Imperium, quod priſcis ſeculis illud poſſederint. Ubi in mores noſtros, ingenium, linguam, inſtituta denuò tranſierint, poterit hac de re maturior deliberatio ſuſcipi. nunc nihil minus in conſidera-

tionem

tionem trahendum est, quin contra reassumendum Helvetiorum, & magni illius Moguntini Præsulis judicium; non ex invidia aut odio, sed propter amorem Patriæ ingenitum, & ne à malo regni principio, pejores postmodum exitus sequantur.

Attamen Rex Gallorum Christianissimus audit. O pulchrum titulum, si nunquam facta à verbis discrepaverint. Putemus, quod illi per excellentiam tributum est, aliis quoque Regibus commune esse. Si enim omnes haud Christianissimi, & Christiani nominis incapaces. Unum demque omnium officium est, cura videlicet tutandi Ecclesiam, dilatandi fidem Christi, promovendi bonum subditorum. Unde tamen hic titulus? Pudet dicere, ministro datus ante Dominum. Carolus Martellus, Major tunc Domus Franciæ, ipsum ante Regem obtinuit. Non indignus, si natalium defectum excipias: dignus si ejus industriam cum ignavia Domini componas. Nec ergo hic titulus quidquam ad rem facit, propter peculiarem nomenclaturam Galliæ Regibus jam quasi hæreditariam.

De potentia sequitur, quæ utramque paginam apud multos facit. Et quis adeò vecors, ut eam magnam, & quasi semper repullulantem negaverit? Ita tamen, si intra limites Galliarum illam incluseris. Extra regnum ad tempus valuit, sed confestim mole sua concidit. Impetu consumpto, languore emarcuit. Ut prælium Meifeldense prætereamus, bustum illud formidabile Gallorum, exemplo Lodovicus Nonus, qui Terram Sanctam secundò infeliciter tentavit. Exemplo Carolus Andegavensis, qui Neapolin & Siciliam inauspicatò occupavit. Lætum mane tristis vespera consecuta est. Exemplo Carolus Octavus,

qui Italiam ingenti exercitu pervasit, & inde fugitivus, ci-
mum inglorie se recepit. Exemplo Franciscus Primus, cui
perpetuus æmulus Caroli Quinti, propter non obtentum
Imperium, in pugna Papiensi libertatem amisit. Exempo
denique illi Reges, qui in meditullio regni victores Anglis
tolerare conati sunt. Revera felices Galli, quamdiu intra-
ream suam se continent. Alibi, ut dictum, semper infelices &
fortassis infeliciores futuri, si molem Imperii, humeris suis gr-
viorem, attollere conati fuerint. Prægrande illud & nims
viscosum. Jactant se armorum claritudine Orbem imp-
visse. Non impleverunt à quo vacui recesserunt.

De Justitia & Clementia non est hujus loci multis age.
Laudabiles utique virtutes, ubi in eos exercentur, in qus
imperium legitimum obtinetur. Aliàs in injustitiam, & incl-
mentiam subitò converterentur. Nec consequentia v-
let, ille justus & clemens est, ergo aliis præferendus. Po-
sunt & alii justi & clementes esse, quibus tamen via ad Aug-
stam Majestatem non patet. Plures & majores rations
accedant necesse est, ut quis Orbis Dominus fieri mere-
tur.

Jam quæ vulgus minimè attendit, quæque recto judic
expendere illi curæ non est, hoc in casu quoque considera-
da. Rex Gallorum absolutus Monarcha haberi vult, qu
consuetudo regnandi utrum in Germania conveniat, nem
facilè dixerit. Sanè si ad Imperium perveniret, fortassis ea
formam gubernationis inducere moliretur. Amplius: fo-
tassis hæreditarium faceret, quale olim apud Majores su
fuit. Quò tum Electores? quò libera suffragia? quò Con-
tia Ordinum? Ad unum omnia reducerentur. Unus inst
omnium foret. Adhæc, quam durum esset, Germanos Ga-
lorum libidini subjacere? Videre externos in feuda sua i-
ductos? audire voces sibi incognitas? pati digna & indig-

avi

avita libertate? Æstimabunt hæc arcana regni Gallicani Arbitri Electionis, de quorum felicitate inprimis agitur. Nos porrò progredimur.

Sunt, qui Regem Hispaniarum habilem ad Imperium pronuntiant, propter originem è Domo Austriaca, propter immensam & toto terrarum Orbe diffusam potentiam, ut aliæ virtutes in considerationem non veniant. Fateor magnum Monarcham ad partes vocatum. Catholicum ad hoc; & aliquantò zelosiorem in religione quam Christianissimum. Nusquam ille sectas in terris suis tolerat. Omnes inutiles herbas ad fibras usq; eradicat. Et rectè: neq; enim Catholicus esset, si Acatholicos pateretur. Maluit insignem partem Belgii amittere, quam fidem in Deum. Cui Oriens, & Occidens parent, is angulum Bataviæ ultrò despexit. Interim, an ideò ad Imperium promovendus, adhuc in dubio pendet. Est ille quidem è Domo Austriaca oriundus, sed ut habitatione à Germania, ita gradu à stipite Cæsareo remotior. Adhæc in Hispania genitus, quæ natio apud omnes populos, an merito suo? certè ex fide Marianæ, ita exosa est, ut aversionem citiùs, quam amorem incutiat. Infortunata Electio Alphonsi Regis Castiliæ, etiamnum in memoria hominum est. Nihil profuit astrorum scientia: spe sua excidit. Si cum Carolo Quinto Belgio ortum deberet, procliviores fortè animos experiretur. Nunc verendum, ne gravitatem Hispanicam, Germaniæ parum gratam, paulò altius imbiberit. Posset quidem immensus regnorum numerus, non exiguum stimulum addere; sed diffusa adeò moles, & Atlantæos humeros suopte pondere fatigans, parum spei Imperio promittit.

Luce clarius, quantum molestiarum sustinuerit, quantum adversitatum invenerit Carolus Quintus, haud exigua parte potentior. Ille tot operibus subnixus, quot à multis sæ-

culis nullus Imperator possederat: ægrè contra insurgentes ubiqueshostes prævaluit. Solymannum potentissimum Turcarum tyrannum, adversarium expertus est. Item Franciscum Primum Regem Galliarum. Item Saxonem, Hessum, Juliacenses, & conspirantes cum iis Civitates Imperii. Et nisi divino auxilio munitus perstitisset, poterat succumbere. Bona caussa plus illum juvit, quam omnia ubique regna. Quia Deo, religioni, & justitiæ militabat, victor evasit. Humana potentia parum contulit, à cœlo præsens auxilium venit: dum nihil fortunæ, omnia æternæ providentiæ permitteret. Inde bellator, inde triumphator exstitit. Et verò an tutum Regi sit, Hispaniam hoc tempore relinquere, nemo liquido dixerit. Inde Lusitani à regno avulsi sunt: hinc Galli impendent. Domesticæ curæ de externis cogitare vix patiuntur. Quare nec de eo adeò adlaborandum videatur. Accedunt aliæ difficultates, quas referre opus non est. Et fortassis ipse ad hanc fortunam parum aspirat, satis contentus, si in gente sua continuatam successionem viderit.

Jam Regem Poloniæ, quamvis nonnulli proponere sustineant, caussas tamen minus efficaces adducunt, propter quas hoc rerum statu ejus ratio haberi debeat. Et profectò tot molestiis etiamnũ involutus, si de alieno regno cogitaret, propriũ amittere quoque posset. Alioqui magnus & potens inter reliquos Princeps. Quantum paritas religionis favere, tantum Polonia ab Imperio segregata obstare valeat. Ne dicamus, neminem unquam Poloniæ Regem, Imperatorem proclamatum esse. Habet quod agat cum Suecis, de Germania sollicitus non erit: Casus mirus, qui illi accidit, majorem spem sufflaminabit. Felix infelicitatem Germaniæ vix agnovit; infelix à felicitate Germaniæ vix cognoscetur.

Inte-

Interim nobis penè incogitantibus, plurimi Regem Suecorum in ſcenam quoq; pertrahere geſtiunt. Age fiat, quando origine Germanus eſt, & à Rege ad Imperatorem commodè tranſiret. Et verò, ſi eadem facilitate Imperium obtinuerit, quâ regnum; næ beatum, næ Deum prædicabimus. Sed pro una Chriſtina hic octo Electores ſunt, pro Suecis Germani. Ut fœmina regno dignior poſtquam demiſit, tam liberalis fuerit, vix unquam ſimile videbitur. Quod una voluit & potuit dare, facilè ad effectum deductum fuit. Quod plures volunt & poſſunt negare, non ita facilè obtinetur. Et Sueci an non horrori Germaniæ adhuc dum ſunt? Ex Scandinavia Regem? ab Aquilone ſedem? Dii hoc avertant.

Olim pro miraculo habitum, quod Maximinus Thrax natione ad Imperium perveniſſet: quanto magis nunc, ſi Suecus? Nec nos tamen invideremus, ſi è bono Germaniæ foret. Cogitabunt de eo, in quorum manibus ſupremæ Majeſtatis inſigne eſt, & ſi minas ſibi intentari ſenſerint, ad oportuna remedia circumſpicient. Polonus adhuc debellandus reſtat, nec dum ibi triumphatum. Ac revera longè petitus diceretur Rex è Suecia. Nationes à Septentrione progreſſæ, in Imperio prædas agere conſueverunt; pedem in eo collocare non potuerunt.

Idem, niſi malueris, mitius judicium eſto de Dano. Reverentior ſemper Imperii fuit, & à turbulentis actionibus magis alienus. Nec abſque cauſſa. Magna & multa beneficia Majores ejus ab Imperatoribus frequenter acceperunt; & in Haraldo Rege agnitionem Chriſtianæ religionis. Et verò modernus Rex Fredericus Tertius, in Jure feciali Armatæ Daniæ, inſigne obſequium, & moderamen animi, erga Imperium profitetur: membrum non indignum tam ſplendidi corporis, utcunque in caput nunquam evadat.

Idem de Anglo sentiri posset, nisi pridē decollasset. Richardum serò in exemplum adduceremus, dum pecuniosus fuit, pro Imperatore habitum. Evacuata bulga authoritatem perdidit. Unde quod salvo regno obtentum non est, turbato, nedum amisso, quomodo obtineatur?

Transylvanum commemorare operæ pretium non est, sufficiat illi, clientem esse, non Dominum. Caput ejus mobile, & nunquam quietum, sub quadam immensæ potestatis vertigine, coronam ferre non potest. Nunc ad Orientem, nunc ad Occidentem respicit, prout fortuna convertitur. Pigeat de tali homine ad altiora evehendo cogitare.

Sunt demum & alii Principes, de quibus subobscura & minus promiscua fama fertur, nimirum Itali. sed quid? partim novitas titulorum, partim vicinitas Romanæ sedis, eos vel per se excludunt, ut lex perpetua de Germano eligendo id non faceret. Lamberti, Berengarii, & Widones, infausta nomina fuerunt. Illorum exitia terrent, non alliciunt. Et sanè Sabaudus sanguinibus Majorum perillustris, citiùs Pontificem quam Imperatorem daret; sed suo nomine testantem, à me Deus. Relictis igitur externis ad Germanos convertamur.

Hic Bavarus primus occurrit, tanquam Princeps Catholicus, & vetus Regum, Imperatorumque surculus; virtutibus ad hæc suis eximius, magnæ commendatione ad Electionem. Lodovicus Quartus, ille magnanimus in bello, ille inclytus in pace, ostendit, quantum heroicæ virtutes ad dominatum valeant. Majoribus votis electus, Pontificem non unum adversum habuit, Petrum videlicet jam tum Gallizantem, & tamen ad finem vitæ felix perstitit. Frustra cucullatus Bzovius eum post tot sæcula impugnat. Hervvarto vindice securus perstat. Fredericum quoque Austrium competitorem expertus est, ita tamen ut eum domaret, & loco cedere

dere compelleret. Possent etiam merita Parentis in consi-
derationem venire, qui, nisi Maximilianus fuisset, Imperium
in Ferdinando fortassis elanguisset. Restitutam Bohemiam
Austriacis, eliminatum hostem à regno, illi magna ex parte
debemus. Possent etiam merita Avi Wilhelmi suffragari,
cujus solius prudentia, Catholica res infracta perstitit. Quod
armis non effecit, pietate obtinuit: tam in toga felix, quam
filius in sago. Possent insuper Propatrui Ernesti, Ferdinan-
di Patrui, & Maximiliani Henrici Nepotis, coruscantes luce
sua Infulæ, viam ad Imperium præmonstrare. Et mehercu-
le, Pharum quandam fulgoris præ se ferunt. De viribus non
est quod caussemur. Imperator satis potens, satis opulentus
est. Habsburgicus Cæsar ex Comite quò non pervenit?
quos non debellavit? quid non effecit? Et non posset Dux,
quod Comes? Posset, si eadem concordia animorum, eadem
persuasio religionum, quæ tunc erat, hodieque permaneret.
Sed quid vetat omnes in unum vinculum amicitiæ colligari,
postquam omnibus liberum credendi exercitium permissum
est? O fieret! Floreret Germania, si unquam, maximè, & satis
foret tutando suo Imperatori.

Ad Saxonem transimus, illum quoque in albo Candidato-
rum inscriptum, & ex antiqua & laudabili Imperatorum stir-
pe proseminatum. Sanè tres Ottones dignos fastigio suo se
præstiterunt. Magnus ante reliquos, Hungarorum, Sclavo-
rum, aliorumque Barbarorum ingens triumphator. Et quid
vetat similem Heroem ex eadem Domo prodire? Fidelitas
hactenus Imperio exhibita, magnum indicium generosæ &
moderatæ indolis præ se fert. Alternante fortuna aliquando
velificare, prudentiæ adscribas licet, ut eò citius ad optatum
portum postea pervenias. Hoc in Joanne Georgio jam de-
functo, & laudem ad posteros, & utilitatem ad præsentes de-
dit. Eremitæ convitia famam Viri non minuent. Odium

nimis repentè prodit. Si aurea catena collum obstrictus
fuisset, aliud procul dubio scripsisset. Et sperandum, Filium
haud recessurum à moribus paternis. Sperandum, nisi Ia-
thurus aliquis interveniat, & tanquam Eunuchus Terentia-
nus domi turbas det. Sed quem in finem? jam à tot annis
Confessioni Augustanæ cautum est: non est quod amplius
dubitemus. Ut pace perpetua fruamur, standum antiquis
pactis. Et verò non turbabunt Catholici, recti & sinceri in-
ctionibus. Quid igitur de Saxone statuendum occurrit,
videbunt Suffragatores.

Adjungimus Electorem Brandenburgensem, & ipsum ca-
pacem throni Cæsarei, & Martialis animi Principem. Cer-
tè de eo tale judicium Orbis terrarum est. Invidiæ proinde
foret illum præterire, nobis saltem beneficio obligatis. Fa-
vere possumus, plus in votis nostris non est. Quod religio-
nem attinet, nunquam hactenus visus est novitiæ opinionis
Imperator in Germania. Et quomodo Advocatum Eccle-
siæ ageret, qui contra Ecclesiam sentit? Hoc impedimentum
est, quod solum obstare judicamus. Cætera omnia conve-
niunt; splendor fortunæ, vigor ætatis, naturæ bonitas, judi-
cii maturitas, rerum experientia, amplitudo Provinciarum.
At Deus corda Principum in manu sua habet. Fortassis cum
honore religio mutari posset; Ut ille propter Imperium face-
ret, quod alius propter regnum. Res dubia, ideoque me-
ritò in medio relinquenda. Simulare veritatem propter
Imperium, Juliani est, non Christiani. Considerabit
Brandenburgicus conditionem temporis, & cum eo pa-
riter Collegæ, quibus cura legendi Imperatorem incum-
bit.

Porrò, quando aliqui ad Palatinum quoque respiciunt,
de eo consequenter inquiramus. Vetus dignitas gentis, &
Ruperto suo illustris. Sanè bonum ille Cæsarem egit, quam-

vi

vis haud adeò diuturnum, sed, ut verè dicamus; adversata hactenus fortuna, & propugnata calidè reformatio, obicem valeant objicere, nedum animus suprà vires altior. Belli artibus Orbis dominium raró feliciter acquiritur. Et sperandum, non interventura sinistra consilia. Qui virtute non merebitur, armis non obtinebit. Nimis periculosus est incessus per præcipitia. Benignitas & favor obtinere poterant, quod vis & gladius non dabunt. Ad intempestivas cogitationes nunquam dilabendum, multò minùs ad confidentiam hominum nostræ opinionis. Sit nobis ante oculos domesticum exemplum. Nihil tot Cognati & Confœderati Principes, nihil tot in unum conglobatæ Civitates juverunt, quæ libertatem status ad libertatem religionis transtulerunt. Didicerunt utrinque suo modo quam incertus sit belli exitus. Si Imperii membra audire volunt, & Principes, & Civitates, pro salute Imperii stent necesse est. Germanico candore, Germanico favore ad majestatem aspirare licebit, haud aliter.

Accedit opinio quorundam pro Hesso, eò quod in gente illa quondam Imperator visus sit. Quid dicemus? sanguini nihil deest, deest religio. Et faceret Deus, non etiam interveniret ambiguus affectus in Catholicos. A tempore Caroli Quinti, obliquis oculis for.unam Austriacam aspexerunt, & quidquid ab ea dependet. Prorsus ut deliberatione opus habeat, in hac rerum volubilitate Aquilam Cattis committere: nisi tamen Ernestum Landgravium, pietate & virtutibus illustrem excipere placuerit.

Unum inter Principes spectabilem, de quo sermo quoque in ore multorum est, incivile foret à cliente dissimulari. Candor Juliac. hoc non permittit. Is est Palatinus Neoburgicus, in florida ætate floridas dotes secum trahens.

Enimvero, si prima species Imperio digna est, jam ille omnium suffragia promeretur. Adde affinitatem cum omnibus ferè Principibus, adde opulentas, si usquam alibi, provincias, magna subsidia ad promotionem. Et profectò Wilhelmum ille Holandiæ Comitem nobis exhiberet, nedum Philippum Audacem, si quando ad Imperiale culmen ascenderet. Ætas ferè eadem, generositas eadem. Nos saltem in mente nostra Imperatorem penè effingeremus; de cæteris Germaniæ Magnatibus statuentes, eos sufficientes esse ad ornandum Imperium, si minus ad sustentandum. Atlante æquè opus est, ut terra, quam cœlum fulciatur.

Sed jamdudum obloquentes & objicientes audimus, quasi Regis Hungariæ, Bohemiæque obliti essemus, ita ne quidem verbum de eo fieri. Absit. de industria ultimum & optimum locum ei reservavimus. Quid igitur statuimus, quod prodesse possit? Multa medius fidius. Continuatam per tot sæcula majestatem, administratum feliciter Imperium, potentiam supra multorum vires. Quid obloquuntur nonnulli, quasi pro hæreditate perpetua Austriaci sceptrum adeant? Benignius ille qui dixit, Emigravit Imperium ad Germanos, non in una tamẽ stirpe, quasi indagaret Austriacam, in qua quiesceret. Non ab hæreditate, sed ab electione fastigium illud gloriæ obtinent. Quod autem tot annis continuaverint, virtutibus illustribus dubio procul promeruerunt. Inter alias Religione, qua supra multos eximii. Adhuc sentiunt obsequii fructum, Deo in pane mystico exhibiti. Et nec fefellit hactenus apprecatio sacerdotis, sed nec fallet in posterum. Deum obligavit sibi Rodolphus, & Rodolphum obligavit sibi Deus. Inde decus, inde gloria. Si Austriaci Imperium, tanquam hæreditatem cernerent, vota Electorum non exspectarent: ultrò adirent. Nunc, dum ante proclamationem, majestatis jura longè relinquunt, ora malignantium

tium modestia sua obstruunt. Quare invidiosum videre in una gente continuatum Imperium? Nunquid in Augusti stirpe idem contigit? Nunquid in Constantini Magni Liberis? Nunquid in Caroli Magni familia? Nunquid in domo Saxonica, Suevica, aliis? Quamdiu hæres idoneus superest, quid opus aliunde successorem adsciscere? Frustra sunt qui novos semper Dominos ambiunt. Non amore solis Orientis id faciunt, sed odio Occidentis. Qui distinctionem inter prosapias statuunt, sæpè non statuunt inter personas, spe majoris licentiæ priscam libertatem eversum eunt. Respiciant clementiam Austriacorum, & pudebit eos invidiæ. Sed nimium increscere vires eorum, id demum dolori est. Quasi verò Imperium non potius consumat opes, quam augeat. Ad ejus conservationem, facultates hæreditariæ accedant necesse est. Sponsam sine dote sumit, quisquis sumit Imperium. Exemplum in Ferdinando Secundo, qui provincias suas exhausit, ut majestatem adeptam conservaret. Circumquaque hostibus adobrutus, quantum in paternis thesauris supererat, impendere coactus fuit. Ita vicit, ita triumphavit. Ita famam ad posteros extendit. Quid enim illi non debetur? sed præstat generatim de Austriacis loqui. Quod Germania adhuc in flore est, illis debetur. Quod Hungaria adhuc à Turcis respirat, eisdem. Quod Bohemia adhuc in pace degit, eisdem. Quod Imperium adhuc authoritatem suam obtinet, eisdem. Quod denique Europa, Asiam, & Africam felicitate superat, eisdem. Atque hæc sunt æterna beneficia Austriacorum, quæ apud prudentes meritò pondus habere debent. Seponamus obliquos affectus, & æquitati libenter concedemus. Et utcunque nonnulli, quorum caussa non agitur, morosiores hac in parte sese præbeant, & obstacula instantis Electionis undecunque venentur;

Vos tamen magni consilii Angeli, vos Diribitores arduæ

controverſiæ, Vos Fulcra & Suſtentacula Romano-Germanici Imperii, Vos Principes Suffragatores, Vos Ephori Aureæ Bullæ decori, Vos Octoviri dicendæ ſententiæ Arbitri: Vos, inquam, non tam ad hæc argumenta, ad has rationes, ad hæc momenta, quanquam non penitùs contemnenda, quam ad maturitatem Veſtri Judicii, ad gravitatem Veſtræ Prudentiæ, ad magnanimitatem Veſtræ Indolis reſpicite, & Europæ ad genua Veſtra cum lacrymis procumbenti, cum ſuſpiriis anhelanti, cum precibus ſupplicanti, Eum per Deum Cæſarem date, denominate, proclamate, qualem & Collegio Veſtro eligere decorum, & Germaniæ pro Domino ſuſcipere ſalutare erit. Non longè petendus Imperator eſt, domi habetis. Æquum eſt Filio Patris virtutes prodeſſe, Fratris interitum. Reminiſcimini illius Davidici oraculi, Deus ab Auſtro veniet. Ita vovemus.

F I N I S.

Emendata.

Pag. 9. lin. 13. pro rationalibus, lege rationabilibus.
Pag. 13. lin. ult. pro operibus, lege opibus.

1. Pax pax polono-svecica Olivae d. 3 Maja 1660
2 pax Germano-svecica Monasterii Westphalor. 24 9bris 1648.
3 Pannonia perorata etc p Joh: Wolff 1652
4 De sacra corona regni Hungariae ortu etc Petri de Reva 1652